DE
COLICA SATURNINA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCILIANDOS
DIE XXIX. MENS. AUGUSTI A. MDCCCXXXVII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
ANTONIUS WILCZEWSKI
BROMBERGENSIS.

OPPONENTIBUS:
HERMANNO EBERT, MED. ET CHIR. DR.
J. BERGSON, MED. ET CHIR. DD.
CAROLO WILCZEWSKI, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS JULII SITTENFELD.

VIRO

ILLUSTRI, AMPLIMISSIMO

EXPERIENTISSIMO

FRID. GUIL. TR. KOTHE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO IN EXERCITU BORUSSORUM SUPREMO, REGI A CONSILIIS MEDICIS SUPREMIS, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN TERTIA CLASSE CUM ANSA, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST. STANISLAI IN CLASSE TERTIA, ORDINIS SAXONICO-ERNESTINI DOMESTICI EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

FAUTORI SUMME VENERANDO

NEC NON

PATRI OPTIMO, DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

PROOEMIUM.

Ut legibus academicis facerem satis, quibus est cautum, ne quis summos, qui sunt in medicina et chirurgia, honores nanciscatur, nisi qui dissertatiunculam, tamquam studiorum specimen, exhibuerit, ego quoque, tiro scilicet, qui artem salutarem a limine demum salutavi, hanc provinciam suscepi. Qui mos quum per tot saecula in tot academiis viguerit, non potest non fieri, quin rarissime inveniatur thema, quod non centies propositum, coctum, biscoctum fuerit. Quum igitur diu haesitarem multumque animo volverem, quamnam hunc in finem tractandam mihi eligerem materiam, accidit, ut ad nosocomium Caritatis homo colica saturnina laborans deferretur, cujus accurate observandi facultas mihi data est. Morbus ille, e libris hucusque tantum mihi notus, sive propter gravitatem sive propter ipsam novitatem, ita mihi arrisit, ut operae pretium me factu-

rum putarem, si de eo dissererem. Quem vero si min
apte tractaverim, urgentibus temporis angustiis obst
teque materiae ipsius difficultate imbecillibus tironis
ribus, Lector Benevole, tribuas iisque indulgeas, qu
emendari debent, et aequus mihi sis judex, te rogatu
velim. Valeas.

LIBRORUM, REM TRACTANTIUM, ENUMERATIO.

F. Citesius: in diatriba: de novo et populari apud Pictones dolore colico bilioso.

Bernh. Ramazzini opera medica, curata a Just. Radio. tom. I. in diatriba: de morbis artificum cap. VIII., de pict. morbis.

Stockhusius: V. libr. de litharg. fumo noxio etc. Goslar 1615.

E. Gockel: Beschreibung des durch Silberglätte versüßten sauern Weins 1694 — 1696, und der daher entstandenen unerhörten Weinkrankheit. Ulm 1697.

Fr. Laube: Diss. de colica saturnina. Frcft. a. V. 1702.

Zeller: Diss. vinum lithargyr. mangonisatum. Tubg. 1707.

Henkel: Von der Bergsucht und Hüttenkatze. Freiberg 1728.

Jägerschmid: der in denen durch die Silberglätte bestrichenen Weinen verborgene, nun aber entartete Merkurius.

Cammerarius: Diss. de colica paretico-epileptica.

Matthisen: Diss. de vinis lithargyrio infectis et colica paretico-convulsiva. Griphis 1745.

Brand: de optima morbi saturnini sanandi methodo. Hal. 1748.

J. Grashuis, de colica Pictonum tentamen. Amsterd. 1752.

——— appendix decadem observationum sist. Amst. 1755.

Segner et Ilsemann: Diss. de colica saturnina metallurgorum. Goetting. 1752. (Halleri dispos. patholog. Tom. III. No. 86.)

J. Astruc u. Pt. C. Mar. Malvet: ergo morbo, colica Pictonum dicto, venae sectio in cubito. Paris 1757. (Halleri disp. pathol, Tom. III., No. 84.)

J. Bt. Dubois: non ergo colicis figulis venaesectio. P
1757. (Halleri disp. path. Tom. III., No. 85.
Koenig: Casus aegroti colica saturnina laborantis. Arge
torati 1764.
J. Jac. Poitevin: oratio de colica Pictonum dicta. Par. 176
Fr. de Paul. Combalusier: observations et réflexions s
la colique de Poitou. Par. 1761.
G. Backer: en essay concerning the cause of the endemi
colic of Devonshire. London 1767.
J. Purcell: Traité de toutes les espèces de coliques,
Paris 1767.
Th. Allock: the endemial colic of Devon, not caused b
a solution of lead in the cyder. Plymouth 1769.
Thdr. Tronchin: De colica Pictonum. Genf. 1757; den
ed. J. Ch., Trg. Schlegel; Jena 1771.
K. Strack: observat. medic. de colica Pictonum maximeq
ob arthritidem. Frankft u. Leipzig 1772.
Ant. de Haen: de colica Pictorum.
Alex. von Brambilla: Von der Bleikolik. (in den Abhandlung
der Kaiserl. Joseph. mediz. chirurgischen Akademie. 1. Bd. Nr. 5
Th. Percival: observations and experiments on the po
son of lead. London 1774.
Max. Stoll: Beobachtungen von Bleikrankheiten. (Mohrenhein
Beiträge I. Band Nr. 1.)
Siemerling: de colica ejusque speciebus. Goetting 177
Jac. Hardy: a candid examination of what has been adva
ced on the colic of Poitou and Devonshire. London 177
Wilson: Von dem Mill-reck.
Fothergill's Bemerkungen über die Krankheiten, denen die Ma
ler mit Wasserfarben unterworfen sind. (In den medizinisch
Bemerkungen und Untersuchungen einer Gesellschaft Aerzte i
London. VI. Band. Altenburg 1778.)

Fer. Bruggen: Diss. de colica vulgo dicta Pictaviensi. Lugd. Batav. 1784.

Ant. de Haen, J. Grashuis, Thdr. Tronchin u. K. Strack: auserlesene vollständige Abhandlungen von der Kolik von Poitou. Aus dem Lateinischen übersetzt von Schröder. Kopenhagen 1781.

Tronchin, Strack, Huxham u. Grashuis: gesammelte wichtige Schriften zur Erkenntniß und Behandlung der Bleikolik. Mit Anmerkungen von K. G. Kühn. Leipzig 1784.

J. G. Hoffinger's Sendschreiben über den Einfluß der Anquickung der gold- und silberhaltigen Erze auf die Gesundheit der Arbeiter. Wien 1790.

G. A. Ebell: die Bleiglasur des irdenen Küchengeschirrs als eine neu erkannte Hauptquelle vieler unserer Krankheiten. Hannover 1794.

H. Clutterbuck: account of a new and succesfull method of treating those affections, which arise from the poison of lead etc. London 794.

J. v. Müller: über Bleikrankheiten und wie dieselben am besten zu verhüten und zu heilen sind; nebst Beweis, daß die Bleiglasur des Küchengeschirrs keineswegs als die Hauptquelle der Abnahme körperlicher Kräfte anzunehmen sei. Frkft. a. M. 1796.

J. F. Westrumb: Ueber die Bleiglasur unserer Töpferwaaren. und ihre Verbesserung. Hannover 1795—98.

Geschichte einer Bleikolik, die 1798—99 in Warschau herrschte (Formey's Ephemeriden I. Band, 2tes Stück, Nr. 4.)

H. Verlomo: Diss. de morbis opificum cerussariorum. Utrecht. 1779.

G. F. Fuchs: Beiträge zur Geschichte der Prüfung der Schädlichkeit der Töpferglasur. Jena 1795—97.

G. W. Sponitzer: Untersuchung und nähere Bestimmung der neulich in Anregung gebrachten Schädlichkeit der Bleiglasur des irdenen Geschirrs. Berlin 1796.

G. Ch. Hoffmann: Etwas über das Blei, die Bleiglasur wie man eigentlich die Auflöslichkeit der letztern betrachten mi vorzüglich aber über eine allgemeine Bleivergiftung der klei Kinder, nebst Vorschlag, diese zu verhüten. Leipzig 1797.
L. W. Redlich: Diss. de colica saturnina. Lips. 1800
F. Vct. Mérat: Diss. sur la colique métallique. Par. 18
——— traité de la colique métallique. Par. 1812.
J. B. Baudry: Essai sur la colique névroso-gastrique, v gairement connue sur le nom de colique métallique gétale. Par. 1809.
J. R. J. Chabaud: Essai sur la colique métallique vé tale. Par. 1809.
Aemil. Osann: Diss. de saturni usu medic. etc. Jena 18
G. L. W. Reuter: Diss. de colica saturnina. Lips. 181
Dictionnaire des sciences médicales par une société de m decins et chirurgiens. Par. 1813.
Orfila: traité des poisons. Par. 1814. Tom. I. pag. 24
Jgn. Schreinzer: Diss. de colica saturnina. Vien. 181
J. C. Koegel: Ueber die der Gesundheit nachtheiligen gewöh lich bleihaltigen zinnernen und glasurten irdenen Küchengeschirr Quedlinburg 1810.
B. L. Borchardt: die Bleikolik und ihre Heilung. Karlsr. 182
Bj. Palais: traité pratique sur la colique métallique. Par. 182
Ranqe: Mém. sur les empoisonnemens par émanations s turnines. Paris 1827.
Ludov. Lilienhain: Disquisitio chemico-pathologiea circ Saturnnm et morbos saturninos.
Suchland: Diss. de paralysi metallariorum.
W. A. Haase: über die Erkenntniß und Kur der chronisch Krankheiten. Band II.
Vogt's Pharmakodynamik. Band I.
F. Aug. Bj. Puchelt: das System der Medizin im Umrisse da gestellt. Heidelberg 1831. Theil II.

MORBI HISTORIA.

Colicae nomine dolores significamus periodicos, qui quamquam interdum etiam continentes occurrunt, certe tamen remittentes observantur, plerumque quam vehementissimos, scindentes in hac illave abdominis regione, qui in canali alimentario sedem habent et a spasmis organi hujusce pendent. Secundum varias, quae iis ansam praebent, causas, varias pathologia nos docet species, quarum illa, quae noxia plumbi vi oritur, colica saturnina, sive plumbica[1]) audit, ab aliis quoque metallica[2]) dicta, qui eam et aliorum metallorum vi oriri posse putant. Galli eam colique des peintres, les plombiers, des fondeurs, des potiers, colique de fumée, chat des fonderies, colique du Poitou, du Devonshire, colique végétale, colique de rachialgie, metallique, scorbutique, etc. nuncupant, homines regionemque respicientes, in quibus saepissime deprehenditur.

Veteres morbi nostri mentionem nullam faciunt, nisi forte locum quendam Hippocratis[3]), quod ad sensum ambiguum, exceperis, ubi „qui circa fodinas versabatur (ὁ ἐκ μετάλλων), praecordia, inquit, habebat contenta, lien magnus

---

1) **Hoffmann**, med. rat. system. IV. sect. II., sap. 5.
2) **Stockhusius**, V. libr. de litharg. fumo noxis etc.
3) **Hippocrates** in libr. epidemicor. libr. IV. art. 20. ed. Fucs.

erat et alvus distenta, aliquantum indurata, inflatus fuit, color" —; praeterquam quod in dubio versatur, utrum μεταλλων hominem significet in mineris occupatum, an qu dam in loco mineris inclyto degentem tantum, neutiq verbis illis morbi indoles depicta videtur esse. Sed mi mus hanc rem, de qua, uti de multis aliis, controver nunquam componentur et ad alios transeamus scriptores, uberius hanc materiam tractarunt. Jam Plinius[1]) caut nonnullas affert, quibus adhibitis nociva metallorum vis ceatur. Dioscoridi deinde aeque Aëtio et Avicennae r bum nostrum satis cognitum fuisse, scripta eorum proba quum, quae ab iis tradita leguntur, symptomata in colic nostram conveniant. Nec non Galenus[2]) de colica quad saturno effecta loquitur. Citantur etiam poetae, qui orati picta metallurgorum morbos descripserint, quos autem, qu nihil ad morbi naturam magis explicandam contulerint, lentio praetereamus.

Multos deinde per annos nemo exstitit, qui de mo saturnino conscriberet aliqua, donec Theophrastus Para sus duos de hujus generis morbis libros memoriae trade quorum alter[3]), metallorum excoctoribus morbos propr continens, rem nostram tangit; ponit nimirum morbi ori nem in fumo mercuriali, qui, ab omnibus secedens meta et a pulmonibus et ventriculo, quin ab ipso cerebro ceptus, humores tingat eosque reddat corrosivos.

Legitur porro inter auctorum nomina quoque Mar cujusdam Pansae; quae autem scripsit, obscuriora sunt, qu nomen ejus citasse, sufficiat. Agricola, Bernardus, Caesi

---

1) Histor. natural. XXIII. 5.

2) Galen. de compositone medicamentorum secundum l Lib. VII., cap. 2.

3) Der Schmelzer und anderer, die im metallischen Feuer arbeit

Caesalpinus, Ramazzini ediderunt quidem nonnulla, quum de artificum morbis scriberent, sed metallurgorum morbos partim in genere, partim admodum obiter tantum tetigerunt, ita ut inde nostri morbi medela nullos caperet fructus.

Tempore demum recentiori Stockhusius, sectionibus accuratissime institutis indeque cognitis mali indole et causa, morbum stricte determinavit; retulit eum ad colicarum genus, quod plumbi et quidem lithargyrii effluviis producatur; proposuit quoque vir ille celeberrimus morbi medelam, propria experientia confirmatam, quae in morbi naturam maxime convenit. Henckelius deinde, qui in libro suo [1]) eodem fere modo mali hujus diri naturam perscrutatus est, arsenicum quoque ad morbi causas numerat, hac sola re a Stockhusii sententia discedens.

Praeter dissertationes nonnullas, quae hoc tempore in lucem prodiere et morbi indolem plus minusve depinxerunt, uti Suchlandii, Siemens, Kochlatschii, Neumanni, memoratu dignissimus est Hoffmanni liber [2]), in quo, quum de intestinorum agat doloribus, nostri quoque morbi brevem quidem sed accuratissimam, ut solet, tradidit descriptionem.

Enarratis hisce scriptoribus, nomina liceat afferre virorum, qui quamquam non accurate et distincte de hoc malo disseruerint, tamen aliqua, eaque non contemnenda, de ejus causis et symptomatibus memoriae mandarunt, in quibus praecipue Goeckelius, Brunnerus, Vicarius, Schwallerus, Reiselius [3]), Zellerus, Jaegerschmidius, Camerarius, Mathisen, Brand, Lilienhain sunt nominandi. Accedunt huc nomina in re medica celeberrima, Brambilla, de Haen, Stoll, qui viri ut summo ingenii acumine ad universam medicinam

---

1) Von der Bergsucht und Hüttenkatze.
2) Lib. jam sapra citat.
3) Vid. Eph. Nat. Cur. Dec. III. a. IV., V. et VI.

animum adverterunt, ita et nostrum morbum perbene exp[o]suerunt, ad cujus symptomata accuratius recensenda ja[m] progrediamur.

NOSOGRAPHIA.

Varia leguntur apud auctores hujus morbi symptoma[ta,] quippe qui non uno eodemque modo homines soleat a[g]gredi; nunc enim repente atque subito magna cum vi irru[it,] nunc invasionem ipsam prodromi quidam praeire consuev[e]runt; id quod a majori minorive plumbi copia in corp[us] ingesti pendere videtur. Ut vero accuratius morbum de[s]cribamus, liceat tria apponere ejus stadia, quae, etsi no[n] semper et ubique observantur, tamen plerumque occurrun[t,] facile distinguenda; nimirum:

I. stadium prodromorum, sive morbi incipientis;
II. stadium insultus, sive morbi declarati,
III. stadium paralyseos, sive morbi posthumi.

Contemplemur nunc morbum secundum haecce stadia.

I. STADIUM PRODROMORUM.

Ipsam plerumque invasionem praeeunt prodromi, no[n] certi quidem ac definiti, sed diversi et in variis varii. Sae[pissime] pissime aegroti per tempus aliquod ante insultum de pon[]deris sensu conqueruntur, de gravitate magna et insuet[a] aliisque sensationibus ingratis; dolores percipiunt obtuso[s,] fugaces in regione epigastrica vel umbilicali, rarius in hy[po]pogastrica et in hypochondriis, imprimis in dextro, omnis[]que viscera solito minus libera sentiuntur; pulsus admodum tardus tangitur, parvus, contractus, durus, nonnunquam intermittens; febris hoc temporis momento omnino abesse solet; lingua materie biliosa obtecta, ciborum appetentia minuta, sitis plerumque adaucta, somnus turbatus; nascitur sensus oppletionis ventriculi cum angore; alvus magis sensim adstringitur, rarissime diarrhoea exstat; urina excernitur parcior et saepe non nisi cum labore et ardore mitti-

tur; increscit fastidium, oboriuntur nausea, singultus, vomituritio, ructus amari, acidi, putridi, aegroti in lecto se jactant inquieti. Prodromi vero enarrati non quemque insultum antecedunt; desunt plerumque in illis, qui saevitiam hujus morbi nondum sunt experti. Diuturnitas hujus periodi aut brevis aut longior; tum absolvitur aliquot horis, tum pluribus diebus, quin hebdomadibus. Prodromos excipit

II. INSULTUS STADIUM,

quod sequentibus insignitur symptomatibus: Dolor abdominis tendens, perforans, terebrans, rodens, ardens, lacerans, seu contorquens, summum vehementiae gradum assequitur, ita ut aegroti intestina cultro sibi dissecari perhibeant et delirantium more se gerentes, exhausti tandem in lipothymias incidaut, aut convulsi saepius omnibus membris resoluti fiant. Abdomen, imprimis umbilicus, adhaerens quasi vertebris, retro trahitur, ipsaque hypochondria, intus revulsa, magnas infra costas cavitates relinquunt; ventris carnes nimis sunt tensae, ita ut haud raro visui tactuique sese offerant quasi prominentia in abdomine loca tantae duritiei, ut perperam pro viscere quodam indurato atque infarcto haberi possint et aegrati corpore antrorsum inclinato decumbere cogantur. Praeter colicos artuum urentes fiunt dolores, rheumatismo acuto simillimi, modo brachia, femora, crura occupantes, modo articulos digitorum, manuum tenentes, qui tactu plerumque non augentur, imo potius mitigantur, quamvis alii ne linteorum quidem superinjectorum pondus ferre queant; facies pallida, cinerea, nasus acuminatus, cavi oculi cum limbo palpebras circum plumbeo. Ciborum digestio exigua, sapor amarus, os sordidum, lingua muco flavescente obtecta, uti in febri biliosa; nausea, singultus; ructibus praegressis supervenit vomitus nunc viridescentis nunc atrae materiae; cutis frigida plerum-

que et subflava, ita ut medici veteres, imprimis Stol sejungi non posse crederent colicam saturninam et bilios Alvi obstipatio, constantissimum [2]) hujus morbi sympto pertinacissima), nec catharticis nec aliis medicamentis dens, ita ut Suchlandius [3]) exemplum nobis asservarit quo alvus per quatuordecim dies non fuerit soluta; q vero secedunt, pauca, nigra sunt, quasi adusta, consisten siccioris, ut ovillum stercus seu caprina scybala figurata Spangenbergio teste, nonnunquam lithargyro obducta. est tenesmus dolorificentissimus, urinae suppressio, spas vesicae et ani, qui, intestino recto quasi fune constricto, tus ita retrahitur, ut ne flatus quidem emittat. Vox, qu larynx et trachea saepenumero siccescant, debilior fit, pera, rauca et in aphoniam perfectam interdum desinit; spiratio in universum non impeditur, nisi convulsio diaphragmatis et musculorum abdominalium eam difficil reddant.

Pulsuum conditio in variis varia reperitur, plerum singularem exhibens duritiem, ita ut Stollius [4]) talem du tiem se invenisse affirmet, qualem in nullo morbo, et ar riae, quasi chordae ferreae, aequabili motu et tardo vibr teque digitum feriant. Hanc arteriarum plenitudinem, du tiem atque vibrationem in omnibus deprehendit Stolli quos in opere saturnino versari noverat, vel sanissimos c teroquin; quae pulsuum conditio ne venaesectione quid repetita mutari potest, sed diutissime persistit, et omniu ut Stollii utar verbis, symptomatum quasi ultimum, clau agmen. Warren [5]) inchoante morbo, etiamsi exquisitissi

1) Stoll. dissert. Vol. II. pag. 155.

2) Le phénomène le plus invariable est la constipation (Andr

3) Suchlandius. Diss. de paralysi metallariorum.

4) Rat. medendi Part. II. pag. 271 et 499.

5) Arzneikundige Abhandlungen, Bd. II. pag. 53.

adfuerint dolores, nullam ejus a sano statu aberrationem animadvertit; post quartam vero quintamve diem eundem invenit celeriorem, quam tamen mutationem vir celeberrimus assumtis medicamentis, quam ipsi morbo adscribere mavult.

Unzerus *), signa febris inflammatoriae, inquit aestus, sitis, pulsus durities, adsunt. Quae ipse observavi exempla in nosocomio Caritatis Berolinensis, pulsus, quum ab initio febris non, raro morbo jam progresso, adesset, tardus tangebatur et contractus, interdum intermittens, sed singulari semper duritie; quum vero febrilis, si morbus admodum jam erat provectus et spasmus in ipsam intestinorum inflammationem transierat, accederet reactio, pulsus accelerabatur et plane inflammatorii subibat indolem.

Tremorem artuum saepe in convulsiones transire jam supra diximus, et omne fere convulsionum genus in hoc morbo observatur, sed maxime, uti Stollius adnotat, „quod gravissimum est et universum corpus incursat, epilepsia nempe, quae nullo non tempore et non opinantes projicit, decedit, repetit." Solent vero haec mala in quocunque morbi stadio aggredi homines: alii enim primo morbi initio subito his corripiuntur, alii morbo jam vigente, alii denique dum convalescunt.

Multis quoque in dorso manuum, pone tendines digitorum, tubercula sunt exigua, nucis avellanae magnitudinem aequantia, mobilia primum et dolentia pressione, deinde autem dura et immobilia. Haec pro critica depositione esse habenda, nonnulli quidem opinati sunt, minime autem firmis sententiam suam probare potuerunt argumentis, quum observata sint exempla, ubi quorundam manus hisce tuberculis obsessae sunt prius, quam ullum aliud signum morbi imminentis exstiterit, doloribus intestinorum postea demum

*) Unzer's medizinisches Handbuch, Leipzig 1799. pag. 517.

exortis. — Si hoc in stadio aegrotus neque arte, nec me[...] a malo liberatus est, dicta jam symptomata non solum [...] parte perstant, sed etalia his graviora superveniunt, et terti[...] intrat stadium, quod

III. STADIUM PARALYSEOS

nominavimus a praecipuo ejus symptomate, paralysi ext[...] mitatum, quae fere semper colicae saturninae sequela e[...] solet. Uti jam in stadiis prioribus morbus noster, ve[...] Proteus, modo sub hac, modo sub illa forma medici [...] mum eludere conatur, sic et in hoc ultimo in variis va[...] praebet formas: modo enim motu quidem privantur par[...] sensus tamen integer manet, imo acutior deprehendit[...] quam statu sano; modo vero quasi emortui a trunco dep[...] dent resoluti artus, quamquam negare non possumus, ce[...] temporis intervallis sensum redire, praesertim sub tempe[...] tis mutationes, acutissimis doloribus sese manifestantem, qu[...] jam Ilsemannus observavit. Neque omnibus eadem ratio[...] accessum parat; subinde enim repente intra paucas ho[...] motum abolet; subinde vero postquam aegroti jam per [...] quot dies dirissimis intestinorum doloribus cruciati fueru[...] Dum oboritur, aegroti magnam articulorum gravitatem p[...] sentiunt, quae omnium difficilime depellitur, tardeque ro[...] pristinum redit. Notatu autem dignissimum est, in tali[...] corporis partibus pulsum duritiem suam atque fortitudin[...] de qua jam supra diximus, servare. Paralysin extremita[...] superiores frequentius quam inferiores petere, resolutis v[...] hisce brachia plerumque affici simul, multis exemplis [...] evictum; uti etiam experientia docuit, saepissime tant[...] musculos extensores malo corripi, ita ut, flexoribus prae[...] lentibus, extremitatum partes sibi appropinquentur.

Paralytica pars tabescit et atrophica fit, praecipue p[...]

licis musculi, quam musculorum atrophiam Backerus [1]) prò signo habet metuendi morbi recrudescentis.

Nec non stupore sensuum afficiuntur aegroti: imprimis oculorum acies per vices turbata et repente obtusa, non raro in perfectam amaurosin temporariam, subito cessantem subitoque recurrentem transit, cujus rei exempla Spangenbergius duo affert, et a medicis Gallis plura relata leguntur; Describitur etiam alicubi casus, in quo surditas aegro supervenit, quorum malorum indolem sanandi methodus, quippe quae emetico sumto tollerentur, declaravit. Aegroti in dies magis contabescunt et in statum incidunt cachecticum, propter intimam organorum digestionis, nutritionis et systematis nervosi depravationem, et tot dolores cruciatusque, quos nulla medici cura, nulla naturae auxiliatricis virtus atque efficacia solvere potuit, solvit tandem

— — — mors, ultima meta malorum.

DIAGNOSIS.

Sin usquam, in nostra praecipue morborum specie, quum tanta sit morborum ac dolorum copia, qui colici dicuntur, opus est, ut similes ei quosdam, quibuscum facillime confundi potest, accurate dignoscamus, ne graviorem morbum pro leviori alterumque pro altero aliquis habeat et curationem ineptam vel irritam instituat. Quam difficile interdum sit, morbum nostrum certe ab aliis sejungere, exempla virorum doctissimorum nos docent, qui, varias colicae species confundentes, nullum saturninam inter et colicam Pictonum et Damnoniorum statuunt discrimen. Signa vero, quibus hae species, licet sint simillimae, distinguuntur, fere haec sunt: Saturninus morbus non nisi veneficii saturnini est effectus, colica vero, quae vegetabilis dicitur,

1) Vid. Stollii rad. med. Part. II. p. 276.

abusu fructuum austerorum provocatur, unde, illam ubi
inveniri, imprimis vero in locis, ubi plumbum praepare
hanc vero in regionibus dominari, ubi homines maxi
fructibus austeris, vino recenti, fermentanti vescantur,
in agro Pictaviensi in Gallia, Damnoniorum in Anglia
in illis Germaniae provinciis, quae vinum producant, fa
apparet. Quod deinde decursum attinet, colica vegetab
lente et tarde ingreditur, saturnina contra citissime sta
sua absolvere fertur; illius ructus continuus, acidus, pyro
odor et sapor oris foetidus quasi signa pathognomonica
auctoribus commemorantur; in saturnina denique, si ex
vantibus et nocentibus argumenta ducere non est nefas,
volventia et antispasmodica maximum parant usum, dum
Pictonum morbo antiacida, alkalina, absorbentia vehement
sime flagitantur.

Primo aspectu forsan quis morbum nostrum pro en
ritide possit habere; sed accuratior perscrutatio vix tir
nem diu in hoc errore versari patietur, quum in colica d
lores abdominis periodici remittentes observentur, mag
vagi quam fixi persentiantur, abdomen modice tantum ca
dum tangatur, tactum pressionemque non perhorrescat, d
lor non cum febre, certe non cum inflammatoria sit co
junctus, et aegroti status in universum magis spasticum qu
inflammatorium imitetur.

AETIOLOGIA.

Multae jam inde ab antiquissimis temporibus mot
sunt dissensiones atque lites de causa morbi, quem tracta
dum nobis sumsimus. Citesius, Huxham aliique vini us
et musti crudi acidique multum tribuerunt; Grashuis [1]) d
fectum muci intestinalis causam arbitratur; alii praeter plu

---

1) Vid. ejus tentamen de colica Pictonum.

bum alias quoque causas huic colicae gignendae pares habent, credentes, eam e materie scorbutica, arthritica, melancholica, febrili, a transpiratione suppressa, animi pathematibus [2]) profluere posse. Strackius [3]) arthritidis vagae materiam causam hujus morbi suppeditare contendit. Alii denique praeter saturnum, ut supra adnotavi, alia metalla, cuprum, antimonium, cinnabarem etc., morbum producere affirmant, quod vero experientia non probatur, quum morbi, ex horum metallorum veneficiis orti, plane diversis insignes sint symptomatibus.

Jam ex Backeri [4]) observationibus satis superque constat, nullam aliam causam tam aptam quam plumbum ad hunc morbum provocandum reperiri. Equidem vero a meta praefixa nimis aberrarem, si omnia ab eo hunc in finem prolata argumenta allegarem; lectores itaque, quorum plura scire interest, tractatus de hac materia a summo viro conscriptos ipsi evolvant. Argumento sunt praeterea effectus illi, quos omnibus diebus usum tam medicamentorum saturninorum, quam plumbi in universum, sequi videmus. Sic Hoffmannus [4]) juvenem in colicam saturninam incidisse refert, qui ad sistendas pollutiones saccharum saturni sumserat; eadem quoque van Swieten [5]) et de Haen [6]) observarunt. Nec raro vinum, lithargyri ope edulcoratum, huic colicae ansam praebet, quod experientia saepe probat. Liceat hic quoque afferre, quod P. Frank et Richter adnotant, vinum Pictaviensium vasis depravari plumbo oblitis, unde patere, colicam Pictonum quoque plumbo cieri ipsamque

1) Arzneikundige Abhandlungen, I. Band, Seite 284.
2) Observationes medicinal. maximeque ob arthritidem.
3) Arzneikundige Abhandlungen I. Band.
4) In dissert. de passione iliaca.
5) Commentar. in Boerhave etc. Tom. III. p. 356.
6) Rat. med. part. X. p. 88.

saturninam esse, quod vero viris doctis, qui hunc morb specificum et sui generis habent, minus fuit acceptum, qu ipsa symptomata discrimen aliquod inter utrumque morb statuant. Percivalus exemplum refert, ubi tota familia sere periit, quae aquam tubis plumbeis advectam in us vocaverat; ipse plures ex familia quadam simul hoc mor correptos vidi, qui e vasis plumbo obductis cibos sumere lebant. Quid igitur mirum, si pictores, figuli, polito pharmaceutae, qui plumbum varia ratione tractant, saep sime hoc morbo afficiantur?

MORBI MORA ET EXITUS.

Certum dierum numerum colica saturnina explere n consuevit; modo intra paucos finitur dies, modo per mens quin annos integros stadia sua percurrit, ubi tum per vic remittere solet et recrudescere. — Curatione secundum a tis leges instituta morbus plerumque cito sanatur; sin n nus, alia mala, eaque chronica, subsequi possunt, uti ict rus, hydrops, auctoribus Spangenbergio et Stollio, amaurosi surditas, linguae paralysis, epilepsia, tabes, mors.

PROGNOSIS.

Nulla colica, etsi omni periculo expers videatur, negl genda est; subinde enim anguis sub herba latet, et in n stra ejus specie plerumque non nisi mala prognosis aug randa erit; exitus enim vix non semper dubius atque, i certus est, quum saepissime in morbos illos posthumos, quibus modo diximus, terminari soleat. Paralysis quide nonnunquam dolores colicos tollendo proximum vitae pe culum amovet, sed aegrotis longum atque vix sanabilem i fert morbum, quem raro superare valent, et si qui rest tuantur, omissum tamen musculorum robur nunquam pe tus recuperant.

Symptomata, quae lugubrem morbi exitum portendu

potissimum haec sunt: dolores continui, magna virium prostratio, vomitus continuus, inanis, sitis ardens et inexplebilis, pertinax alvi obstipatio; pessimi ominis sunt frigidi sudores, convulsiones, lipothymiae. Inter bona tamen debet referri signa, si pleraque horum symptomatum aut plane desunt, aut saltem non ita continent; si dolor, non nimis vehemens, certis temporibus remittit et ex uno in alterum transmigrat locum, si alvus non penitus clausa est: nec non puncturae, artubus paralyticis tamquam per acus inflictae — movendi enim facultatem brevi reversuram esse, praenuntiant.

NECROPSIA.

Cadavera eorum, qui colica obierant saturnina, si secabantur, partim nihil anomali praebuerunt, partim varia in lucem prodiderunt; sic encephali vasa interdum ampliora reperiuntur, multo repleta sanguine, cerebrum ipsum hic illic rubropunctatum; in parte inferiori medullae spinalis major minorve seri copia offenditur; ventriculus nonnunquam maculis rubris aut fuscis obsitus conspicitur, interdumque in parte quadam dilatatus, intestina hic illic obtecta materie sicca et dura, nonnunquam inflammationis vertigia prae se ferentia et tantopere passim contracta, ut vix digitum immittere possis, quin adeo gangraenosa et perforata; lien, pancreas, hepar, glandulae mesentericae induratae, pallidae, obstructae, nec raro scirrhosae; vasa mesenterica et systema venae portarum multo sanguine referta.

CURATIO.

Curatio morbi nostri duplex esse potest, vel prophylactica, quae, quominus morbus erumpat, prohibere studet, vel therapeutica, cujus est, morbum exortum sanare. Priorem, quae non minus est magistratuum quam medicorum, leges admodum juvant, quibus saturni usus angustissimis finibus restringitur et veneficia, quo etiam vina plumbo edulcorata referenda sunt, gravissime puniuntur.

Hominibus vero, qui plumbum tractare sunt coacti, suadendum est, ne deglutiant salivam, quippe quae semper magnam plumbi partem contineat, interdum abstineant ab opere et nunquam, nisi ore diligentissime eluto, cibos assumant, acida vitantes. Quum per ipsam cutem plumbi pulveridam suam vim in corpus humanum exercere valeat, haud spernendum munimentum vestimenta praebent, qualia jam Plinius describit, quae tenuia atque pellucida totum corpus totamque faciem contegunt. Alii, uti Henkel et Hoffmann, laudant hunc in finem aquam vitae et fumisugium; alii, ab his praecipue Mérat, balnea et totius corporis et singularum ejus partium. Percival [1]) fodinas calcarias comprobat, ad quas montani in Anglia sese conferant, quia experientia eos docuerit, ibi veneficium celerrime extingui. Roard [2]) operariis suis, qui cerussam parant, potum cum acido sulphurico porrigit, et ex quo tempore hoc faciat, se nullam colicam saturninam in officina sua vidisse, affirmat.

Omnium vero prophylacticorum optime pinguia oleosa, mucilaginosa, quibus intestina quasi involvuntur, ita ut venenum excipere nequeant, saluti hominum prospicere videntur, quod respiciens de Haen refert, se jam longum per tempus in Styriae fodinis morbum saturninum non vidisse, quia montani, suadente viro experimentissimo, multis vescerentur oleosis. Sed haec hactenus; transeamus nunc ad curationem, quae vocatur, therapeuticam, de qua medicorum sententiae valde adhuc inter se discrepant.

Ut in quoque morbo, ita potissimum in nostro illud Hippocraticum valet: „si unquam aliquis in ullo morbo utilitatem attulit, eum justo tempore attulisse, necesse est."

Ideoque malo recenti et si ventriculus ipse partes ad-

1) Ramazzini libr. citat. Tom. II., pag. 125.
2) Académie des Sciences Jan. No. 11. Novbr. 34

huc venenosas continet, statim vomitus cicatur oportet, non acriori sed leniori emetico, ut sublata morbi causa morbus ipse tollatur; sed fuerunt quoque, qui omnem ubicunque sanationis spem in emeticorum usu ponerent, rati, quo citius efficaciusque illa materies ex intestinorum tractu ejiceretur, eo certius praesentiusque fore auxilium; sed jam Antonius de Haen probabilibus argumentis adserit, ancipitem semper esse eventum, periculi saepe plenum, et auctis incitatisque nervorum convulsionibus, imo ipsa morte subsequuta, stipatum. Alii contra, in quibus prae ceteris Stockhausen et Brambilla, drasticis gravioribus eundem finem petebant, quia plumbum intestinis valde adhaerere censebant; sed subsequens dolorum spasmique incrementum, quod non raro ipsa enteritis excipiebat, merito hanc curandi methodum oblivioni tradidit. Multo melior et summae indicationi, quae irritationem minui et spasmos jubet finiri, maxime respondens methodus est involvens et antispasmodica, quam adhibitis oleosis et mucilaginosis exsequimur; olea vero non ideo solum proficua sunt, quod spasmum mitigant, sed etiam quod alvum leniter solvunt, qua virtute imprimis Oleum Ricini pollet, quo interne et puro et emulsioni addito utimur. Sed et haec medendi ratio non omnibus placuit, quum, si morbus ad majorem vehementiae gradum jam pervenerit, neutiquam sufficiat; laudarunt igitur alia remedia tamquam specifiica in hocce morbo, quo referendum censebant antimonium, sulfur antimonii auratum, flores sulphuris multaque alia, — sed, eheu! jam dudum docuit experientia, nullum esse remedium vere specificum, quod morbi nostri vehementia non saepius elusisset. Omnia haecce, quae partim evacuationi partim decompositioni favent, remedia, non nisi in casu recenti, ubi subito magna plumbi copia ingesta morbum procreavit, sanitatem reducere valent; si vero, quod plerumque fit, malum, quasi veneficium chronicum, lente ir-

repit in corpus, singulis, quae occurrunt. symptomatib est occurrendum. Si igitur vis plumbi inimica ejusque e fectus noxii apparent:

1. Spasmus intestinorum, unde pertinacissima alvi o structio proficiscitur, est solvendus; quo soluto plerumq et alvus dejicitur et morbus decrescit; hunc in finem, u jam supra retulimus, olea aptissima inveniuntur vegetabili mitiora, recens expressa, oleum provinciale, Amygdalaru dulcium, nucis juglandis, Seminum papaveris; quorum ef caciam augere licet omnibus mucilaginosis, ut lacte, Gumm arabico, decocto seminum lini, avenae excorticatae, Sago, Sale

Si vero ad inflammationem vergit, quae facile irrit mento faecum induratarum oboritur, apparatus antiphl gisticus in usum est vocandus. Quod venaesectionem att net, quam quoque autores nonnulli in morbo nostro com mendarunt, nec plane rejicienda, nec temere admittenda est in morbo simplici, non complicato, nihil commodi afferr videtur, etiamsi dolores sint exquisitissimi; inflammation vero superveniente, quae tempore hiemali et verno praepr mis accedit, non semper tamen cognitu facilis est, largior manu ac repetita vice detrahendus est sanguis, totaque me dela methodo antiphlogisticae superstruenda.

2. Canalis intestinalis irritabilitas, omnem modum su perans, est sedanda, quo partim remedia jam dicta confe runt, optimum autem levamen narcotica exhibent, quorum omnium maxime Opium est laudandum et fere nomine re medii specifici dignum. Colica nostra tum largiores opi doses, tum ejus usum diuturniorem expostulat. Stollius intra spatium viginti quatuor horarum opii grana decem por rigebat aegrotis, nec prius ab ejus usu abstinebat, etiams omnibus molestiis vacui viderentur, donec pulsationum an tea vibrantium rursus rediisse mollitiem animadvertebat convalescentibus sex vel octo grana per diem imperavit adjecto quodam amaricante, stomachico, iisque, qui hoc re medio utebantur, alvum plerumque facilem et leviter fusam fuisse, affirmat. Neque unquam mali quidquam ex tam larg opii usu observavit.[1]

Buerger opium cum mercurio dulci conjunxit, ita u aegrotus omni bihorio opii granum dimidium, mercurii gra num integrum obtineret, et quidem prospero cum eventu.

Balnea etiam commendantur calida, in quibus vero di detineantur aegroti; nec minus prosunt cataplasmata e

1) l. c.

lacte, scm. Lini, tepidiuscula admota, infrictiones oleosae antispasmodicae, verbi causa ex ol. Hyoscyami coct., ex ungt. nervino ect.

3. Ischuriam et reliqua affecti systematis uropoetici symptomata, si medicamentis jam commemoratis nondum cesserint, methodo antagonistica impugnamus, secretionem alio in loco provocantes, sinapismis et vesicantibus ad suras applicatis, ut spasmus a viis urinariis avertatur.

4. In paralysi maxime balnea sulphurata laudantur, cui scopo in nostris terris thermae Teplitzenses optime respondent; quae vero balnea diu, per annos adeo, continuari debent, quando organica musculorum structura ipsa laesa est. Praeter haec sideratae parti epispastica applicari possunt; neque inutile est, spinam et artus nervinis linimentis inunguere, aut pannis laneis fricare, Succino, Olibano fumigatis, vel membra extis animalium recens mactatorum fovere.

De Haen, Percival et von der Flüe ignem electricum optimo cum successu nonnunquam adhibuerunt, et Wateruliet[1]) eo solo utrique manui paralyticae movendi facultatem reddidit. Stoll electricitatem in quinque casibus nocuisse asseverat. P. Frank nec detrimentum neque emolumentum inde observavit.

Interne Camphora, Sulphur aurat. antimonii, Asa foetida[2]), Balsama prosunt, nec non Valeriana et China propinari possunt. Fothergill[3]), evacuantibus praemissis, tincturam Guajaci volatilem, continuo atque frequentius sumptam, omnibus aliis praetulit remediis. — Oleum animale Dippelii magnam utilitatem praestitisse Thouvenet[4]) testatur. Nec silentio praetereundum est medicamentum, quod recentissimis temporibus in usum vocatum, pluries saluberrimum exhibuit effectum — Strychninum nitricum, quod dosi gr. $\frac{1}{4}$ usque $\frac{3}{4}$ per diem per plures menses adhibitum, artuum usum restituit, quare optandum est, ut experimentis caute institutis effectus ejus accuratius explicetur.

Restant denique remedia nonnulla, quae vario cum successu in hoc morbo adhibita sunt, quo prae ceteris referendum est Alumen, quod Grashuis primus proposuit, deinde Percival, Lentin, Tronchin, Richter saepius porrexerunt. Ipse hoc medicamentium saepius in clinico nostro datum

1) Sammlung für prakt. Aerzte II. Band 2tes Stück.
2) Paldamus. Toxicologie Halle 1805. S. 192,
3) Sammlung für prakt. Aerzte, III. Band p. 525.
4) icid. X. Band p. 140.

vidi, et quidem in levioribus morbi casibus; idem sem brevi tempore morbum plane sanavit; alumen nimirum, a que salia sulfurica, e. g. magnesia, kali, natrum sulfuric plumbo decomponuntur, ita ut saturnum sulfuricum f ment, qui solvi nequit, itaque insons redditur.

Quem in finem Gendrin acidum sulphuricum et inte et externe adhibet.

Clutterbuck calomelana interne porrigit et unguent neapolitanum inungit, quae medendi ratio, ut ipse affirm maximam praestat utilitatem. In nosocomio Parisiensi quod audit Hôtel Dieu, primum Ol. crotonis, deinde m phium sulphuricum, gr. ij. p. d. usque ad narcosin, ex bentur, et aegroti sanantur.

Diaetam denique semper medicaminibus aequipara conantes, parcos initio et tenues praescribamus cibos, m cilaginosos, caventes, ne acida aegrotus accipiat. In conv lescentia caute ad res magis nutrientes transeamus, sim modicos tonicorum doses, rhei, aloes praecipientes.

VITA.

Ego, Antonius, Carolus Joannes Wilczewski natus su Brombergae die XI. mensis Julii A. MDCCCXIV, pat optimo, Antonio, Gymnasii professore, matre Carolina, gente Puhan, quam praematura morte mihi ereptam lacr mis prosequor, nec non semper prosequar. Fidem confite catholicam. Primis literarum elementis domi et in ludo u bano imbutus, Gymnasium Brombergense, quod Cel. Mue ler, amico meo paterno, floret, adii, unde testimonio mat ritatis instructus a. MDCCCXXXIII Vratislaviam me co tuli, ibique ab Ill. Schneider, penes quem tum tempor fasces academici erant, civium academicorum numero a scriptus, apud Ill. Benedict, t. t. gratiosi medicorum ord nis Decanum spectatissimum, nomen rite sum professu In Alma Viadrina per triennium hisce interfui viroru Doctissimorum lectionibus:

Ill. Barkow: de osteologia et syndesmologia.

Ill. Benedict: de chirurgia generali ac speciali, de ophtha miatrice, de fasciis rite applicandis, de instrumentis ch

---

*) Medizinische Journalistik des Auslandes. 5ter Jahrg. No. 6 Juni 1834.

rurgicis, de operationibus in cadavere rite instituendis. Idem vir benignissime mihi concessit, ut examinibus de singulis chirurgiae capitibus, nec non exercitationibus chirurgico- et ophthalmiatrico-clinicis per annum integrum interessem.

Ill. Betschler: de morbis sexus sequioris. In policlinico, quod sub ejus auspiciis floret, per annum dimidium mihi praeceptor fuit eximius et benevolentissimus.

Cel. Branis: de logice et psychologia.

Cel. Burchard: de instrumentis et operationibus, quae ad artem obstetriciam pertinent.

Ill. Fischer: de chemia theoretica et practica, nec non pharmaceutica deque corporibus, quae dicuntur, reagentibus; ejusdem repetitorium de rebus chemicis magna cum voluptate frequentavi.

Ill. Frankenheim: de physice.

Ill. Glocker: de mineralogia generali ac speciali.

Ill. Goeppert: de botanice et arte formulas medicas concinnandi; eundem virum in excursionibus botanicis libenter sum secutus.

Ill. Gravenhorst: de zoologia.

Ill. Henschel: de encyclopaedia medica.

Cel. Klose: de herniis, nec non de medicina forensi.

Cel. Kuestner: de arte obstetricia.

Cel. Kutzen: de historia Hannibalis.

Ill. Otto: de anatome corporis humani universa, de anatome comparata, nec non pathologica. Idem vir illustrissimus foetus historiam luculentissime, methodumque sectiones instituendi forenses, nec non artem cadavera rite secandi dexterrima manu disertisque verbis mihi exposuit.

Ill. Pohl: de phaenomenis electro-galvanicis, magneticis etc.

Ill. Purkinje: de pathologia generali, physiologia generali et experimentali, nec non de morbis psychicis.

Ill. Remer: de therapia generali ac speciali; idem vir illustrissimus in clinico medico-practico per annum mihi fuit moderator gravissimus et humanissimus.

Cel. Remer: de morbis syphiliticis; idem vir benignissime circa aegrotorum lectos me adjuvit.

Exp. Thimann: de grammatica italica.

Ill. Wendt: de materia medica, de morbis ex laesa nutritione oriundis, de syphilide, de infantum morbis.

Praeterea in clinicis medici adjutores Experientissimi Dr. Burchard, Dr. Jenner, Dr Koehler, Dr. Schoenborn multum mihi consiliis et admonitionibus profuere.

Anno MDCCCXXXVI Berolinum profectus, ibique Ill. Heffter, t. t. Rectore Magnifico, inter cives academic receptus, apud Ill. Wagner, hoc tempore gratiosi medic rum ordinis Decanum maxime spectabilem, nomen dedi.

Frequentavi haecce clinica et audivi lectiones:

Ill. Horn: de Syphilide.

Cel. Angelstein: de operationibus ophthalmiatricis.

Cel. Barez: clinicum medicum, aegrotis infantibus destinatu

Ill. Busch clinicum obstetricium — Ill. de Graefe clinicu chirurgicum — Ill. Juengkenclinicum ophthalmiatricu Cel. Truestedt clinicum medico-chirurgicum, Cel. Wo clinicum medicum.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Celeberrimis, E perientissimis summas, quas habeo, gratias ago, eorumq memoria indelebilis in me perseverabit.

Tentaminibus, tam philosophico quam medico et exami rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superati spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summ in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1) *Haemorrhagia non est morbus sed morbi symptoma.*
2) *Gangraena nosocomialis interdum medicamen est.*
3) *In nullo morbo certa prognosis.*
4) *Pericarditis a carditide certe dignosci non potest.*
5) *Peculiares oculorum morbi non sunt.*